



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi
Servatoris Crisis Historica**

Chifflet, Jean-Jacques

Antverpiae, 1624

Cap. XXXIV. De Sudario Veronicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

ac receptis iam litteris ad reditum accingeretur, unum ab eo Sanctus petiit, ut non manufacta Christi imagini, quam Mantile sanctum appellare mos est, lineum aequale velū applicaret, idq; sibi mittere non grauaretur. Factum est quod postulabat, missumq; velum ex animi sententiâ, quod cum expandisset, Christi effigiem in eo ad amussim expressam, & figuram figuræ exactissimè respondentem vidit; aliis autem nihil tale apparebat.

An. 944.

Hæc è sancti Pauli Vitâ recitat Baronius; quibus subdit, postea bellis ingruentibus, ipsaque ciuitate Constantinopolitanâ sæpè captâ, & ab hostibus direptâ, Dei prouidentiâ factū esse, vt eadem veneranda Imago Romam perlata fuerit, vbi hactenus colitur in titulo S. Siluestri. Alij Genuæ Liguriæ vrbe seruari volunt, in templo diui Bartholomæi. Haud dubiè primigenia est vno in loco; altera miraculo expressa in alio.

CAPVT XXXIV.

De Sudario Veronica.

PROPERABAT cum cruce Christus ad crucem, cum inter Ierosolymitanas mulieres, qua plangebant & lamentabantur eum, religiosa quædam femina, nomine Veronica, stans proforibus domus suæ, (quæ fuit angularis, teste Adricho-

Luc. 23.

chomio) lineum capitis sui peplum Christo por-
 rexit, quo faciem suam sudore & cruore diffluen-
 tem detergeret. ille verò imaginem sui vultus lin-
 teo perfectè impressit, ac Veronicæ in amoris sui
 pignus atque monumentum reddidit. Sunt qui
 credant velum illud capitis Veronicæ oblongius,
 triplicatum fuisse; & imaginem diuinitùs im-
 pressam, triplicem suscepisse; quarum vna serue-
 tur Romæ, altera Gienensi ciuitate Hispaniæ,
 tertia Ierosolymis. De eius quæ Romæ est transla-
 tione, libellum MS. seruari in Vaticanâ Biblio-
 thecâ testatur Baronius: & Ioannes Molanus eam
 sub Tiberio factam addit, eiusque historiam anti-
 quissimis conscriptam characteribus Thomam
 Stapletonum Romæ perlegisse totam. Bzouius
 ex veteri traditione narrat, ipsammet mulierem
 Veronicam velum illud insigne sacro Redem-
 ptoris vultu, detulisse Romam, eoque sanasse Ti-
 berium Augustum difficili morbo laborantem:
 idem deinde linteum venisse in manus S. Cle-
 mentis Papæ; postmodum à Constantino Impe-
 ratore collocatum in Basilicâ S. Petri. Ioan-
 nes VII. Papa (qui sedit anno Domini DCC. v.) ser-
 uando illi velo construxit tessellati operis *ἱεροτύου*,
 quod dictum est, *Domus sanctæ Dei Genitricis, &*
Sancta Maria in Beronicâ. Innocentius III. in

In Th.
n. 44.Salmeron
Tom. 10.
Tr. 33.An 34.
n. 138.Lib. 4.
Imag. c. 2.An. 1216.
n. 16. 17.

Sermone Dominicæ primæ post Epiphaniam, meminit Processionis Sudarij Veronicæ, à S. Petri basilicâ, vsque ad ædem Xenodochij S. Spiritus in Saxiâ, anno Domini M. CC. cuius verbis vsi sunt postea Honorius III. & Alexander IV. Pontifices successores. Bonifacius VIII. anno Domini M. CC. XCVIII. Sudarium Veronicæ à prædicto templo S. Spiritus (vbi prius ostendi solitum erat) ad basilicam Principis Apostolorum transtulit, suisque manibus ex eminentiore loco ostendit, præsentibus Iacobo Aragonum & Carolo Sicilia Regibus: atque vt eò loci tum seruaretur in posterum, tum à Summo Pontifice stans diebus ostenderetur, constituit. Denique Paulus V. idem Sudarium in nouam S. Petri basilicam transferri fecit die vigesimâ primâ Martij, anni Domini M. DC. VI. ex instrumento Iacobi Grimaldi basilicæ Vaticanæ gazophylacij Propræfecti, apud Bzouium.

Loc. cit.

Imagines ad archetypum Romanum depictæ coluntur publicè multis locis. Celebres sunt in Galliâ duæ: vna quæ populo exhibetur Cadurci, in Vasconiâ: altera in Diœcesi Laudunensi, magno peregrinantiû concursu colitur, in Cœnobio Virginum Instituti Cisterciensis, quod Monasteriolum vocant, vulgò *Monstreuil les Dames*. Eam anno

anno M.CC.XLIX. Româ misit Iacobus Pantaleo, gente Gallus, patriâ Tricassinus (qui factus postea Urbanus Quartus Papa) rogatus per sororem suam, Monasterioli, vt aiunt, Monialem. Placet Epistolam ipsius è Gallico Latinè redditam hîc subiicere.

Venerabilibus & deuotis Sororibus, dilectis in Domino, Abbatissa & Religiosis Conuentus Monasterioli, Iacobus de Trevis, Archidiaconus Laudunensis, Sancti Patris nostri Papæ Cappellanus, salutem, ac postmodum integram perfectamque fruitionem, & claram visionem boni diu expetiti. Per relationem charissimæ sororis nostræ intelleximus, quòd ex ardenti affectu desideratis videre, & apud vos habere faciem & figuram nostri Saluatoris, quam in nostrâ habemus custodiâ, cum quâ visus est in terris, & versatus cum hominibus speciosus præ filijs hominum: quòdque ex eius contemplatione, deuoti affectus vestri magis accenderentur, & intellectus vestri puriores redderentur. Nos igitur qui lubentissimè volumus procurare ea omnia per qua possitis acquirere gratiam Dei in hoc mundo, & aternam gloriam in futuro; cupientes, quantum in nobis erit, satisfacere sanctis desideriis supradietæ sororis nostræ dilectæ, mittimus vobis sanctam Faciem superius memoratam. Neque attendite, quòd inuenietis eam decolorem & flaccidam. Nam

ut

ut ij, qui semper resident sub aëre temperatè frigido,
 & quiescunt continuo in locis amœnis, habent carnem
 albam & delicatam; & è contrà, qui versantur per-
 petuò in agris, habent perustam, nigricantem & alte-
 ratam: ita fuit hac beata Facies sole & ardore tribula-
 tionum decolorata, ut habetur in Canticis, cum Do-
 minus noster laboraret in agro huius mundi, pro re-
 demptione nostrâ. Idcirco vos rogamus enixè, ut pro-
 pter reuerentiam illius quem repræsental, recipiatis
 eam, ut sanctam Veronicam, seu veram ipsius ima-
 ginem & similitudinem: tractetis eam piè, leniter &
 condecorè, ut ex eius contemplatione melius habeatis.
 Memores nostri estote in vestris sanctis precibus &
 meditationibus; & certò credite, quod cum maxi-
 mo honore & veneratione hîc videtur; nobis ea quip-
 pe per sanctos viros concessa. Actum anno gra-
 tia M. CC. XLIX. tertiâ Julij, die Luna post Festum
 sanctorum Petri & Pauli.

Theodoricus de Brabantia Dunensis Abbas in
 Comitatu Flandriæ, Ecclesiæ suæ cōsecrationem
 curaturus per Radulphum Morinensem & Ioan-
 nem Tornacensem Episcopos, anno Domi-
 ni M. CC. LXII. sacram illam Imaginem eò detulit è
 Monasteriolo, quo mage solemnis foret noue Ba-
 silicæ dedicatio: & verè ibi virtute illius, multis in-
 firmis sanitas restituta est; cæcis visus, surdis audi-
 tus,

tus, mutis loquela, & claudis gressus. Eadem ad Fanam S. Quintini delata, anno M.CCCC.XCV. laborantibus ex oculis maximè opitulata est. *Ex monumentis Monasterioli, & Ecclesie Dunensis.*

CAPVT XXXV.

De aliis Imaginibus Christi Domini non manufactis.

NON dubito alias Imagines è primigeniâ Romanâ per admotionem miraculo in velis expressas, vti ex Edessenâ factum suprâ ostendimus; maximè cùm doceat antiquissimus Auctor Simocatta, quamdam Christi effigiem, sine pictoris aut hominis arte factam, Mauritij Imperatoris æuo fuisse Constantinopoli, seu potius in Romanorum castris, cuius haberent archetypum Romani. Εἰς τὸ πολέμιον παρεφαίνετο, καὶ ἦν κόπης πολλῆ, Φιλιππικὸς δὲ Θεανδρικὸν ἐπέφερετο εἰκασμα. Ὁ λόγος ἔκαθεν καὶ εἰς τὰ νῦν διηγεῖ θείαν ἐπισήμην μορφασα, ἔχ ὑφάντε χαῖρας * τετήνασαι, ἢ ζωγράφου μηλιά-
* ἢ τετυγ-
ταδαι.
δα ποικίλαι. διὰ ταιτῶτο ἔα χειροποίητος ὡσαύτῃ Ρωμαίοις καδυμνεῖται. καὶ τὰν ἱεροθέων πρεσβειῶν ἠξίωται. δεχέτηπον γὰρ ἐκεῖνο θρησκέυσαι Ρωμαῖοι ἢ ἀρρήτων. Ταυτὸ δὲ στρατηγὸς τὰν Σεβασμίων ἀειπέπων γυμνώσας, τὰς τάξεις ὑπέστρεχε, κρείττονος ἔα ἰταγωνίσαι θράξας ἐν τῷθεν μεταδιδὸς τῷ στρατῷ ματι. *Vbi hostes appropinquare, puluerea nubes indicio fuit, Philippicus, (Dux exerci-*

Dd tus,